


tem iterum evehendæ ; cùm interim ipsarum loco concitatas aliquot in aqua bullas eò eniti non sine strepitu percipissemus.

XVI. Unicum adhuc Phænomenon, quod est ejusdem generis cum superioribus, adjiciemus. In Part. I. Tentam. V. Phæn. IV. sphærulæ cavæ B, quæ collum angustius ad K apertum habebat in summitate aquæ A C sic librata, ut onere exiguo accedente mergi posset, superaffuderamus oleum, à quo pressa sphærula magis magisque tandem, impetu recepto, ad fundum usque descendebat. Oleosum hoc & squalidum experimentum in aliud mundius & fordium minùs habens commutare gestiebat animus. Librabamus igitur sphærulam in summitate A C aquæ multo sale priùs imprægnatæ, eidemque postea superaffundebamus limpida tantquam leviolem ; ita sperantes eundem, ex pari ratione, effectum, sed frustra : sphærula enim cum aqua dulci affusa sensim in sublime evehebatur. Cùm hac viâ non processisset, aliâ rem aggrediendam censuimus, sphærulæ, super aquâ falsâ iterum libratae, affundentes spiritum vini, voti que nostri statim compotes : non solùm enim loco suo hærebat sphærula à spiritu vini altiore jam cylindro tecta, sed tandem, hoc ulterius excrecente, ad ima ferebatur ; eratq; jucundum aquæ falsæ & vini adusti confi-

Fig. XXIII.



Phæn. XI.

Phæn. XII.